

## ELEGIA X I I.

AD AMPLISSIMUM PRÆSULEM  
SUPPRESSO NOMINE.

**Q**ualis ab aero præcelsi vertice montis  
 Pastor sæpe orbem suspicit astriferum,  
**A**dmiransque oculos circumfert, nec tamen omnem  
 Noscere vel numerum, vel potis est varias  
**A**strorum formas, magno quæ diffita mundo  
 Certatim fulvo lumine cuncta micant,  
**C**uncta simul præbent spectaculum dulce tuenti;  
**T**alis ego laudes eximias cupide  
 Jamdudum cerno, Præsul, queis, include, fulges,  
 Nec secus ac cœlum sideribus radians  
**A**urea perpetuæ diffundis spicula lucis.  
 Sed mi nescio quis mentem animi tacitus  
**I**nvasit stupor adtonito; nec dicere spes est  
 Quotnam sint, quanam prædicta sunt specie  
**S**ingula, quæ mi aciem magna, & miranda lacerfunt.  
 Igneus ingenii te vigor ille, animum  
**Q**ui ciet, ac vento citius, volucrique sagitta  
 Hac illac celerem fertque, refertque, sinus  
**M**ultiplices veri scrutantem, atque abdita rerum;  
 Te pulchræ insignit fulgidus ille nitor  
**D**octrinæ, ingenii quæ dux terrasque peragrat,  
 Et maria, & cœli templa supervehitur,  
**O**mnia commonstrans digito, quæ noscere fas est.  
 Adde huc Doctrinæ flexanimam sobolem,  
**Q**uæ lucem affundit rebus, quæ pectora mulcet,  
 Suada potens dulci dulcior ambrosia.